

## Cincinnato libera l'esercito romano dall'assedio

*Cincinnato, eletto dittatore mentre arava il suo campo, attacca e sconfigge gli Equi che tenevano assediato in città l'esercito del console Minucio.*

Cum in urbem nuntiatum esset Aequos exercitum Romanum obsessum in castris tenere cum consule Minucio, Romae magna trepidatio facta est et dictator creatus est Quintus Cincinnatus, qui tum privatus civis erat et praediolum trans Tiberim colebat. Ad eum legati missi sunt qui ferrent senatus mandata. Qui, novis copiis conscriptis, ad castra consulis prodiit ut Aequos obsidentes circumveniret et opem obsessis ferret. Inde magnus clamor hostium factus est, qui in castris a Romanis auditus est. Primo autem consul haud certe sciebat unde clamor fieret, sed, ubi intellexit adesse exercitum Romanorum et sibi auxilium ferri, suis imperavit ut arma caperent et ex vallo contra hostem exirent. Extemplo undique proelium initum est. Post multas horas Aequi dictatorem imploraverunt ut se inermes abire sineret. Eis abire licuit, sed prius sub iugum eundum fuit. Tribus hastis iugum fieri solet, quarum duae humi fixae sunt, tertia super eas transversa collocatur.

## Epaminonda cade combattendo contro gli Spartani

*Epaminonda, comandante in capo (imperator) dei Tebani, ferito nella battaglia di Mantinea, si estrae dal corpo la freccia da cui era stato colpito e muore, solo dopo aver avuto la certezza della vittoria dei suoi.*

Epaminondas, Thebanorum imperator, apud Mantineam, Boeotiae urbem, cum in acie audacissime pugnaret contra Lacedaemonios qui Boeotiam invaserant ut Thebas expugnarent, ab hostibus inter reliquos Thebanos cognitus est. Cum autem in eo uno scirent sitam esse salutem Thebarum, Lacedaemonii universi in eum impetum statim fecerunt neque abscesserunt priusquam ipsum Epaminondam percusserunt et fere exanimaverunt. Sui ducis casum cum vidissent, Thebani aliquantum constiterunt, neque tamen ex pugna excesserunt donec (*finché non*) profligaverunt Lacedaemonios. At Epaminondas, donec suorum victoriam vidit, ferrum in mortali vulnere retinuit et cruciatum acerbissimum fortissime toleravit, quia, si id e corpore extraxisset, statim animam sanguinis fluxus oppressisset (*avrebbe chiuso*) neque ipse fugam hostium cernere potuisset. Cum autem victoriam Boeotiorum vidisset: «Satis - inquit - vixi: invictus enim e vita excedo et patriam meam salvam video». Tunc, cum ferrum e vulnere sua ipsa manu extraxisset, confestim animam exspiravit.

## Si deve credere ai sogni?

*Un cittadino dell'Arcadia sogna che il suo compagno di viaggio viene assassinato e gli chiede aiuto. Il mattino dopo scopre che l'albergatore sta portando fuori città il cadavere in un carro di letame.*

Cum duo amici Arcades iter simul facerent et ad urbem Megaram pervenissent, alter ad cauponam devertit ut ibi pernoctaret, alter ad amici domum. Media autem nocte ei, qui apud hospitem dormiebat, in somnio apparuit imago amici multis cum lacrimis implorantis ut sibi auxilium praestaret et se a morte liberaret, cum a caupone insidiae pararentur. Ingenti terrore percussus, e somno experrectus est: cum tamen omnia quieta sensisset, rursus obdormivit. Sed paulo post, dormiens, iterum amicum in somnio vidit sic implorantem: «Cum mihi vivo non succurreris, saltem mortem meam vindica. Cras ad urbis portam consiste, priusquam cauponis plaustrum ex muris excedat». Prima luce stetit ille ad portam ut cauponem imprudentem exspectaret. Quem ut (*appena*) vidit vehiculo venientem, ex latebris exsiluit et, gladium destringens, quid plastro veheret interrogavit. Statim caupo vehiculum reliquit et celeriter aufugit. Cum autem ille fimum, qui in plastro erat, submovisset, paene corruit (*svenne*) videns amici corpus horrendis plagis confossum.

## Un poeta che non vuole adulare

*Per chi abbia a cuore la propria dignità ed onestà intellettuale è meglio affrontare spontaneamente il carcere che mentire adulando un tiranno. Questo brano e quello di pag. 165 hanno lo stesso contenuto. Utile sarà il confronto tra i due testi per rilevare le differenze sintattiche.*

Dionysii, Syracusanorum tyranni, maxime intererat quid de se et de suis carminibus familiares et docti viri sentirent. Nam poeticae laudis studiosissimus erat et saepe carmina sua inter epulas convivis adulationum peritissimis recitabat. Inter hos Philoxenus erat, magni ingenii vir, qui unus, simulationis nescius, libere aperuit quid sentiret cum olim nullius laudis (*pregio*) carmina a Dionysio recitata audivisset. Qua verborum libertate offensus, tyrannus suorum carminum reprehensorem a satellitibus suis deprehendi et in lautumias, quae publicus erant carcer, detrudi iussit. Postridie tamen iracundiae suae eum paenituit et, ab amicis exoratus, Philoxenum rursus ad epulas adhibuit, ubi, carmina sua recitans, de quibusdam versibus, quos permagni existimabat, sententiam Philoxeni exquisivit. Ille, adulationis insuetus et periculi incuriosus, e mensa surrexit et, nullo verbo facto, abiit. Interrogatus quo locorum tenderet: «In lautumias» respondit.

da Cicerone

## Seneca visita la casa di Scipione

*Il filosofo Seneca narra la visita fatta alla modesta casa di campagna dell'Africano, costruita tre secoli prima in solida pietra, ma senza lusso. Un paragone appena accennato con i costumi dei suoi contemporanei ci fa capire a chi andasse l'apprezzamento di Seneca.*

Seneca Lucilio suo salutem dicit. In ipsa Scipionis Africani villa iacens haec tibi scribo, adoratis Manibus eius et ara, quae sepulchrum esse tanti viri traditur. Animus quidem eius in caelum, ex quo descenderat, mihi redisse videtur, non quia magnos exercitus duxit (hos enim etiam Cambyses furiosus habuit in regno suo), sed ob egregiam moderationem pietatemque, quae magis in illo admirabilis putatur cum reliquit patriam quam cum eam defendit. Vidi villam, in qua exsulabat, extractam lapide quadrato, murum circumductum silvae, turres quoque in propugnaculum villae utrimque subrectas, cisternam aedificiis subditam, quae sufficere in usum vel (*persino*) exercitus posse videtur, balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua: balneum enim maioribus nostris non videbatur calidum esse nisi obscurum. Magna ergo me voluptas subiit contemplantem mores Scipionis ac nostros: in hoc angulo ille, qui «Carthaginis horror» appellabatur, cui Roma salutem suam debet, abluabat corpus laboribus rusticis fessum.

da Seneca

## Cesare grazia i pompeiani che si sono arresi

*Dopo la vittoria di Farsalo Cesare assedia i pompeiani rifugiatisi su un monte. A resa avvenuta si dimostra indulgente con i vinti. Vera clemenza o calcolo politico?*

Caesar copias suas divisit partemque in castris Pompei remanere iussit, partem in sua castra remisit, quattuor secum legiones duxit et, progressus circiter milia passuum sex, aciem instruxit. Pompeiani vero, quos illa res (*manovra*) non fugerat, in proximo monte constiterunt. Hunc montem flumen subluabat. Caesar cum milites cohortatus esset, etsi (*anche se*) totius diei continenti labore erant confecti et nox iam suberat, tamen munitione flumen a monte secludi iussit, ne noctu aquari Pompeiani possent. Quo perfecto opere, illi, cum eos aqua defecisset, miserunt legatos ut de deditioe agerent et salutem sibi a victore peterent. Caesar prima luce eos, qui in montem ascenderant, ex superioribus locis in planitiem descendere atque arma proicere iussit. Quod sine recusatione fecerunt passisque palmis ad eum venerunt et ad terram proiecti inter fletum salutem ab eo petiverunt. Tum Caesar eos consurgere iussit et omnes conservavit. Cuius indulgentiae ei numquam paenitendum fuit: nam postea eos semper fidelissimos in omni tempore (*circostanza*) habuit.

da Cesare

## Temistocle cerca ospitalità

*Temistocle, bandito da Atene con l'ostracismo (testularum suffragiis), chiede ospitalità ad altri stati. Per garantirsi la protezione di Admeto, re dei Molossi, gli sequestra la figlia e la tiene in ostaggio.*

Themistocles non effugit civium suorum invidiam. Namque, cum in eundem timorem<sup>1</sup> (*sospetto*), quo damnatus erat Miltiades, venisset, testularum suffragiis e civitate eiectus, Argos in exilium concessit<sup>2</sup>. Hic, cum propter multas virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem<sup>3</sup> accusarent quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset<sup>4</sup>. Quo crimine absens proditionis damnatus est. Id ut audivit, quod non satis se tutum Argis<sup>5</sup> videbat, Corcyram demigravit. Ibi cum eius civitatis principes timerent Lacedaemoniorum et Atheniensium iram, ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat<sup>6</sup>, confugit. Quo<sup>7</sup> cum venisset et in praesentia rex abesset, quo (= ut) maiore religione se tueretur, filiam eius<sup>8</sup> parvulam adripuit et cum ea in sacrarium, quod summa colebatur religione, se coniecit. Ex quo<sup>9</sup> non prius egressus est quam<sup>10</sup> rex eum, data dextra, in fidem reciperet.

*da Cornelio Nepote*

## Ostentazione di modestia

*Tiberio volle sempre apparire modesto, ostentando deferenza verso il senato e le alte cariche dello stato.*

Adulationibus adeo adversatus est ut neminem senatorem ad lecticam suam admiserit, nisi negotii causa (*per cause di lavoro*); consularem vero, qui ei supplicabat et per genua orare conabatur, ita suffugit ut caderet supinus. «Dominus» appellatus a quodam, rogavit ne sibi malediceret. Saepe etiam iis, qui convicia et famosa carmina contra eum dicebant, pepercit, dicens in civitate libera linguis et mentibus liberis esse licere. Cum autem senatus flagitaret ut in maledicos consuleret: «Non tantum» inquit «otii (*tempo*) habemus ut vacare pluribus negotiis possimus». Olim in curia, dissentiens opinioni Quinti Haterii: «Ignoscas mihi – inquit –, si quid adversus te liberius, sicut senatori<sup>1</sup> licet, dixerò». Deinde, ad senatores conversus: «Dixi et nunc et saepe alias, patres conscripti, bonum principem senatui servire debere, et universis et singulis; neque id dixisse mihi paenitendum erit: nam bonos et aequos et mihi faventes vos habui et adhuc habeo».

*da Svetonio*

1. L'imperatore era anche senatore di diritto.